



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ioannis Bvgenhagii Pomerani Annotationes ab ipso iam  
emissæ. In Deuteronomium**

**Bugenhagen, Johannes**

**Basileae**

**VD16 B 9247**

Capvt IX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36133**

## CAPVT IX.

**N** hoc & sequenti cap. declaratur Saul primus rex in Israël à deo constitutus ex stirpe Iemini & tribu Beniamin, in quo usq; adeo omnia conueniunt ad regiam dignitatem, ut hic iudicium rationis merito uideatur irridere uerbū dei in Samuele, qui petere regē tam s̄epe inculcat esse cōtra deum, ut & infra uidebitis. Nam qđ ad externā administrationē regni attinet, ipse fortis & electo corpore præ reliq̄ Israēlitis, fortis uiri filius est, & spū dei fortificatur, ut liberet populū de manu aduersariorū, ut uidebis. Quod uero ad animū coram deo attinet, modestus siue humilis est, ut uidebis infra in uerbis eius. Nunqđ nō filius Iemini &c. & cap. sequēti abscondit se dum queritur. & cap. 15. exprobrat ei Samuel, Nōne cum par uulus essem in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es? &c. Si ista omnia fallūt, ut postea euentus declarat, quando quæso fidemus iudicio nostræ rationis? Iudicia dei nobis timenda sunt, ut in alijs, ita & in constituēdo magistratu, ne dicamus, Si ille factus fuerit princeps aut consul, tunc oīa meliora uidebis mus. &c. Orandus est deus ut hic nobis cōsulat, & maxime in principib⁹ ecclesiasticis, id est uerbi dei ministris. Rogate, inquit dominum meſis &c.

Terram

Terrā Zuph, id est in patriam Samuelis. Zuph  
enī erat atavus Samuelis, significat ergo prop̄ Ra=matham uenisse Saulem. Quia repperi.  
Non quia populus meruit &c. Clamor supra ca. 7. Et  
fleuit omnis domus Israēl post dominum.

Minima tribu, scilicet iam penē extincta propter scelus in uxorem leuitæ perpetratum, ut uides in fine Iudicium.

Assumens &c.

Et loco & cibo honorat Saulem præ ceteris.

In hac historia uides, quod apud homines est casus, fortuna, prudentia, industria, studium, apud deum esse prouidentiam. Quid enim magis fortuitum potuit uideri quā q̄ Saul ungitur in regem dum asinas querit, dum uadit consulturus prophetam, cū tamen per hæc deus illum mittat ut ungatur? &c. Ita omnia ad quæ uel sponte agimus uel coacti propellimur, deo agente uel impellente fiunt, siue misericordia ipsius siue iudicio, imo deo sic disponente non ea fiunt quæ uolumus uel ad quæ cogimur, sed longe alia quæ ne cogitauimus quidem aut cogitare potuimus &c.

## CAPVT X.

**C**apite superiori dicit dominus, vnges eū ducem super populum meū Israēl, & hic, vnxit, inquit, te dominus &c. Primus ero rex qui iussu dei ungitur in Israēl est

Q